









12028.

24.  
62  
3/

Disputatio Juridica  
 De <sup>1613</sup> <sup>3</sup>  
**SERVITIIS**  
**FEUDALIBUS,**

*Quam*  
 Aspirante Numinis Divini gratiâ,  
 In Electorali Academiâ Wittebergensi

P R Æ S I D E  
 Clarissimo & Consultissimo Viro

**D. VALENTINO GUILIELMO**  
**FORSTERO J. U. D. Profefs. Publ. Ju-**  
 ridici Collegii p. t. Decano  
 Publicè examinandam proponit

**Johannes Reuter Bitterfeld.**  
 Alumn: Electoral.

*Ad diem 16 Julij horis a. 6. matutinis, in Audi-*  
*torio Jctorum.*

**W I T T E B E R G Æ,**  
 Typis Martini Henckelij, ANNO CHRISTI 1613.



*Magnificis Amplissimis Consultissimis Varia-  
rumq; rerum usu prestantissimis Ictis,*

**Dn. CHILIANO Stiffern/Reve-  
rendissimi & illustrissimi Archiepiscopi Mag-  
deburgensis Cancellario dignissimo Me-  
ritissimo :**

**Dn. GEORGIO HENRICO Wellfras/ Gene-  
rali Comitatus Mansfeldici Cancellario, nec  
non Scabinatus Halensis Assessori dignif-  
simo,**

**Dn. HENRICO SCHLICHTKRUL, Ge-  
nerosissimorum comitum à Mansfelt Consi-  
liario Fidelissimo.**

*Dominis Patronis Fautoribus & Promo-  
toribus suis summâ observantiâ co-  
lendis*

**Hoc publicum legale exercitium**

**Submissè & devotè  
inscribit  
atq;  
Dedicat**

*Johannes Neuter/ Author & Respondens.*



# CUM DEO.

## THESIS I.

**U**landoquidem secundum Ic. Paulum, ea qua cotidiana sunt, diligenter sunt attingenda, & addiscenda: ideò nos operaprecium facturos existimamus, si in naturam servitiorum, quibus in foro & judiciis feudalibus nihil ferè frequentius & usitatus paulò altiùs inquiramus.

2. Sunt autem servitia feudalìa, nihil aliud quam opera, quas Vasallus propter feudum sibi concessum ad utilitatem domini regulariter prestare debet c. 1 §. ult. in quib. caus. feud. amitt. c. 1. de Nov. form: fidelitat.

3. Sanè quilibet Vasallus vel per se vel per alium acceptabilem tamen substitutum domino suo servire tenetur c. vn. §. f. ibi. Dd. in caus. feud. amitt. c. vn. §. firmiter & ibi, Schenck. de prohib. feud. alienat. per Frideric.

4. Etsi modicum & parvum haberet feudum arg. c. si quis de manso, sive investit: feud. contrav. fuer. Hodie pro ejusmodi manso pecunia solet domino exhiberi, quam nostri dicunt Bettgelt fortè quasi mit bitt erlanget gelt vel Hundegelt / quoniam alicui fuere canes venatici pro tali manso.

5. Imò licet creditores ob executionem impetratam fructus & commoditates feudi possideant, & ideò nullum commodum ad Vasallum redeat equè Vasallus servire tenetur, ob contractum feudalem inter dominum & Vasallum initum c. 1 §. ult. in quibus caus. feud. amitt.

6. Sed tamen pacto investiture servitia remitti possunt, sic



sicut in feudo franco videmus c. si cui militi, ibi, cum feudum sic datum est, ut nullum &c. in capit. extraord. arg. c. l. §. 1. vers. nulla autem, per quos fiat investitur. Iser. c. 1. §. item qui dominum, Quæ fuit prim: ca. benef. amitt. Zas. par. 12. n. 36.

7. Unde servitia de substantia feudi non esse, videmus d. c. si cui militi &c. argt. à juramento fidelitatis per cap. si quis decesserit, ibi, fidelitatem nec ipse, si de feud. defunct. cont. sit. c. in fin: ibi, nisi eo pacto. per quos fiat investitur &c. Curt. part. 1. quæst. 8. n. 28. Zas. d. 10.

8. Neq; tamen tenetur Vasallus spontè servitium offerre, sed tum, quando generaliter vel specialiter est requisitus c. licet. si de feud. defunct. content. sit. c. 1. §. ult. An ille qui interf. fratr. domini &c. VVesenb. cap. 8. n. 12. in fin. Borch. c. 1. n. 24.

9. Nisi sciat domino grande periculum mortis imminere c. licet. si de feudo defunct. cont. sit. c. vn. §. si scivero. de nov. form: fidelit: aut per Edictum aut proclama publice propositum aut simili modo requisitus fuerit d. c. 1. §. ult. c. 1. vers. & inde generaliter vel specialiter &c. de nov. form. fidelitat: c. ad hæc. Hic finit Lex. &c. Sonlb. part. 11. n. 25. Intrigl: quæst. 97 n. 119.

10. In territorio Ducum Saxonie talis Vasallorum differen-  
tia obtinet: Ut alij immediatè, alij mediatè principi subjiciantur:  
quorum illi Cansley oder Schrifftassen; propterea quod prin-  
ceps tantum, vel ejus nomine consiliarij ex Cancellaria ipsis impe-  
rent: hi verò Ambtsassen; quia prefectis seu quæstoribus subjici-  
untur & coram illis conveniuntur, appellantur. Dan. Moller.  
ad Constit: Nov. Aug. part. 1. constit. 5. n. 14. Sicq; Amptfas-  
sij non tantum ad domini: verum etiam ad prefecti  
& qua



Et questoris requisitionem, qui ipsis praest, comparere, & servitia prestare coguntur. De Consuetudine Schicke, man zu einem Jeden Lehenman einem besondren auffgeboths brieff / oder wenn es so eilens fürfelle / schicket man dasselbe in offener Form / Von einem Edelman zum andern / die dem Boten bekentnus geben müssen / das Ihnen solcher auffgeboths Brieff zukommen sey. Schneid. par 5. n. 99.

11. Ex feudi itaq. Natura tenetur Vasallus, pro feudo quidem proprio recto ad servitia incerta & indeterminata, quamvis nihil de iis in investitura sit actum: Pro improprio vero & degenerante feudo, ad certa & determinata c. sancim9. de feud: sine culp. non amitt. c. 1. de nov. form: fidelitat: c. domino gverram c. adhac, Hic finit. Lex. &c. c. vn. §. f. ibi, si dehis nominatim dictum, & ibi, si servitium illud nominatim, In quib. caus. feud. amitt. In pluribus locis Saxonia practicatur teste Kohlio part. 4. n. 95. h. lo. Ut nempe in literis investiturarum nominatim exprimat Welcher massen der schuldige Hofdienst zuleisten ob mit einem halben ganzen zweien oder meher Pferden vom Lehen zu dienen sey.

12. Porro licet dominus inhabili det, quod facere omnino potest, dum de novo concedit, ille tamen aequè servitia, qua in propria persona prestare nequit per alium, domino scilicet acceptabilem prestare tenetur c. 1. quemad. feud. ad fil. pertin. c. imperialem. §. firmiter. de proh. feud. alienat. per Frid. Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 33. n. 27.

13. Inter inhabiles autem personas, qua per substitutum, servire coguntur, referuntur minor 14. annis, foemina, Clericus, Monachus, mutus, surdus, Cæcus, mente captus, furiosus, vel aliàs feudi incapax seu imperfectus c. si quis decesserit, si de feud. definit cont: lit. c. 1. §. ult. de success. feud. c. vn. quemad. feud. ad fil. pertin: c. 1. §. item si Clericus de capite l.



Curr. c. 1. §. 1. verſ. perſonam verò non diſtinguimus. per quos  
fiat investitur. c. 1. §. mutus, Episcop. Vel Abbat. Vult. lib. 1.  
c. 4. n. 5. Rosenthal. c. 3. concl. 4. Sonſo. part. 7. n. 15.

14. *Ceterum ſi feudum pluribus alioquin competens, ad u-  
num eorum ex diſiſione forſan perveniat; ille ſolummodo ſervi-  
at, reliqui non item.* c. vn. §. omnes ſi de feud. deſunct. cont.  
ſit Konl. part. 1. n. 102. h. lo.

15. *Quod ſi mortui Vaſalli heredes feudum indiviſum poſſi-  
deant, omnes ſervire tenentur, ita tamen, ut per unum ſervitia  
domino exhibere poſſint; Sin verò diſiſum fuerit, tum pro quan-  
titate ſive parte beneficij ſinguli ſervitia præſtabunt c. omnes, i-  
bi. Dd. ſi de feud. deſunct. cont. ſit c. cum plures, ſi plures  
ſint domini &c. Hartm. Piſtor. lib. 2. quaſt. 47. n. 18.*

16. *In injuſto quoque bello Vaſallus dominum ſuum contra a-  
lios defendere, ſed non eundem alios offendentem juvare cogitur*  
c. 1. in pr. Hic finit: Lex &c. arg. c. vn. de nov. form: fidelitat:

17. *In dubio tamen quando dubitatur juſtam cauſam domi-  
nus ſoveat nec ne; Vaſallus domino ſuccurrere debet d. c. 1. hic fi-  
nit: Lex &c. c. quid culpatur in fin. 23. q. 1. VVurmſer: lib. 1.  
tit. de feud. obſerv. 30.*

18. *Quid? Si plures ſint domini diverſorū feudorū, & eodē tem-  
pore ſervitia requirant; Cuinam erit ſerviendum, poſteriori ne  
an antiquiori? Huic omnino aſſiſtendum argt. c. vn. §. contra  
omnes hic finit. Lex. &c. tt. de form: fidelitat: & 11. c.  
10v. form: fidelit. capite. 1. §. porro, quæ fuit prim:  
cauſ. benef. amitt. Hartm. Piſtor. libro 2. quaſtio. 47.  
num. 39. Secus de jure Saxon: Zobel. differ. 24. Reinhard.  
differ. 3. part. 3. In verbis, Wan zwene Herren oder meher die  
Ihm des Reichsdiēſte gebieten / der Ihm dann zum Erſten gebent  
mit dem ſoll er ziehen / vñ dem andern ſoll er herſteuer geben. Quod  
& ipſum Schneidvv. part. 5. n. 96. de facto vidiffe obſervari a-*

it,



it, Das der Lehmann einem jeden Herren Pferd vnd Knecht/wie er Ihm zu dienen schuldig gewesen zugeschieket hatt/ vnd er ist für seine Person still gessen.

19. *Non tamen Vasallus dominum Bannitum sive proscrip- tum iuvare tenetur c. domino gverram. hic finit: Lex & c. Menoch. consil. 101. n. 8. Gail. lib. 2. c. 12. n. 5. de pac. publ. Estq. tex. elegans in c. felicis, maxime ibi. nullus ei debita, extra de poenis in 6. & in constitutione pacis publicæ edita anno 1455. sub Rubr. Die Peen der Friedbrecher & anno 1521 & 1548. sub d. Rbr.*

20. *Sed hic querere lubet: Si dominus feudi & parens Vasalli, uterq. in mortis periculo, eodem tempore constituti sint, & alterum solummodo iuvare possit, quid tam faciendum? Patri potius quam domino favendum existimo arg. c. 1. ibi, prout poterit. de nov. form: fidelitatis Zas. part. 7. n. 32. Laudens. c. ult. n. 5. hic finit. Lex. & c.*

21. *Serviat in super Vasallus domino aut adjuveteum vel per se vel per alium, contra omnes omnino homines: non tamen contra Imperatorem & uxorem tex. c. ult. & ibi, gl. hic finit. Lex. & c. c. 1. maxime, ibi, contra omnem hominē. de nov. form: fidelitat: Borch. c. 7. n. 42. Vult: l. r. c. 10. n. 19.*

22. *Sed an contra Patrem? Feudista communiter affirmant. Nobis negativa magis arridet Schrad. p. 6. c. 5. n. 1. 2. Rosenth. concl. 14. c. 8. n. 3. Zas. part. 7. n. 29. & seqq.*

23. *At verò: Si Vasallus plures dominos feudi habeat; puta si sint plures heredes ejusdem domini, qui feudum possident pro indiviso; cuinam auxilium bisce inter se bellum gerentibus ferendum? Neutri horum putē, cum hi invicem sibiipsis obstant. arg. l. quotiens 34. in pr. de Usufr. & l. invicem 43. de hered. instituend. Jacob. de S. Georg. verb. qui quidem investit. n. 30. Alvarott. in c. omnes n. 11. ibid. Præposit. si de feud. defunct. content. sit.*

24. Re-



24. *Requisitus ergò Vasallus comparere & servitia eo in loco, quem dominus ipsi denominavit, exhibere debet c. imperialem §. firmiter, in verb. Venire, & mittere, de proh feud. alienat: per Frideric. c. 1. in f. ibi, cum illis in exercitu perrexerint de his qui feud. dare possunt c. 1. §. ut autem, ibi, eundò cum ipso, de allodus, c. 1. §. similiter, ibi, qui cum iis non vadunt de capit: Conrad. Kohl. part. 5. n. 2.*

25. *Atq; ita tam intra quam extra ditionem dominum juvare & sequi debet dd. cc & c. 1. de nov. form. fidelitat: Jacobin: de S. Georg. verb. & promiserunt n. 3. Schenck. n. 4. Quib. mod. feud amitt.*

26. *Unde si dominus, ad territorium fortè, jus aliquod habeat, quod ipsi vel per successionem vel Electionem aut alia de causa delatum sit, Vasallus tenetur ipsum juvare, licet ditio remota esset, c. 1. vers. etsi contigerit, ut rem quam habeas etc, de Nov. form fidelitat. c. domino gverram. hic finit: Lex & c. arg. l. 20. in pr. de oper. Libertor. Anton. Gabriel 2 commun. concl. tit. de jurejur, concl. 8. n. 1. Kohll. part. 4. n. 66. & seqq. h. 10.*

27. *Et quidem Vasallus, si modo feudum ad sumtus servitiorum sufficiens sit, regulariter propriis sumtibus domino servire aut medietatem fructuū istius anni, non tamè invito domino solvet c. 1. §. firmiter. de proh. feud. alienat. per Frideric: arg. c. 1. §. hujus autem vers. adhæc ut ille & sui heredes domino fideliter serviant. In quib. caus, feud. amitt. Ruding. l. 1. c. 18. n. 29.*

28. *Si tamen pacto investitura de sumtibus servitiorum aliquid fuerit cautum, omninò illi standum c. 1. §. ult. quid sit investitur. ibiq; Dd. Rosenth. c. 8. concl. 24. n. 1.*

29. *De jure Sax. soll der Mann dem Herren Sechswochen dienen bey seiner selbst Kost. Lehrecht c. 4. Consuetudo tamen est,*

Das



Das der Lehenman vff des Lehen herren futter / vnd mahll oder zimliche vnd gewöhliche besoldung dienet / teste Reinh. in differ. p. 3. t. 16. Colet. decis. 82. *Quamvis Duces Saxonia sibi in hoc prospexerint; ut si sint nobiles, qui non habent feuda magna, ut quilibet unum equum ad expeditionem alere possit, quod tunc duo, tres, vel quatuor, unum equum domino alere, illumq; tempore necessitatis ad iussum, domino suo cum uno milite mittere cogantur, sicut attestatur Zobel. in gl. ad. d. c. 4. lit. B.*

30. *Æstimatio quoq; Servitiorum, pro varia locorum ac regionum consuetudine, & ipsa variat: In his terris ut plurimum, quodlibet militare servitium Ein Pferdt Ritterdienst mille florenis æstimari consuevit, quasi equus ferè de horum pensionibus annuis ali possit Knichen. de pact. investitur p. 2. c. 5. in fin. Jacob. Schult. in addit: ad Coler. decis. 82. n. 5*

31. *Deniq; Si Vasallus servitium, propter quod feudum ipsi datum est, prestare recusaverit; feudo privatur, cap. 1. §. sed non est alia. Quæ fuit prim: caus. benef. amitt. c. 1. fancimus de feudo: sine culpa non, amittendo. cap. adhac, hic finit. Lex, & c. c. 1. §. ut autem, de allodiis c. Imperator, §. firmiter, de prohib. feud. alienat: per Frideric. Alvarott. in d. §. sed non est alia. n. 3. Kohll. part. ult. n. 13. d. 10.*

32. *Adeò quidem, ut etsi dolo careat Vasallus, modo sit in lata culpa, quando servire recusat, nibileminus privationis pœnam incurrat c. vn. §. præterea, ibi, dolo vel negligentia, vel fraude & ibi Ffæ comm. Quæ fuit prim: caus. benef. amitt. c. vn. ibi, vel dolo, Quib. mod. feud. amitt. c. vn. de feud. sine culp. non amitt. & c. Rosenth. c. 10. concl. 12. n. 31.*

33. *Idem esse statuimus in feudo sub annua pensione dato c. 1. §. ut autem d. allodiis c. Imperialem §. firmiter. de prohib. feud. alienat. per Frideric. Gravett. Consil. 187. n. 2.*

34. *secus se res habet, quando Vasallus non sufficienter nec*

A §

c. ad.



*in quantum tenebatur servitium prestitit: Nihilominus enim servitium, quamvis insufficiens prestitit, cap. adhuc, hic finit. Lex. &c. Afflict. in cap. 1. vers. sed non est alia n. 24. Quæ fuit prim: caus. benef. amitt. c. 1. §. quoniam in verbis, non dolo, de proh. feud. alien. per Frideric.*

*35. Non tamen Vasallus ipso Jure ob servitium non prestitum feudo privatur: sed demum per sententiam judicis declaratoriam c. 1. in pr. in Verb. Ut nemo miles sine cognit. culpâ, de feud. sine culpâ non amitt. c. 1. §. sancimus, verî, nisi convictâ culpâ, Quo tempore miles investit. pet. deb. c. 1 in f. vers. à domino suo convinci, de allodiis lfern. c. vn. §. sed non est alia Quæ fuit prima caus. benef. amitt. Kohll. part. ult. n. 91.*

*36. Colophonem imponat hac questio: Ad quem feudum pertineat, si Vasallus illud amittat? Distinctionis beneficio rem expeditur: Aut enim delictum committitur in dominum, aut in extraneum: Si in dominum ipsi regulariter tam antiquum, quam novum aperitur, & ad eum devolvitur: Sec9 Si in extraneû; quia tum ad agnatos relabitur antiquum feudum, c. 1. in f. An ille qui interfec. fratr. domini cap. 1 §. denique, Quæ fuit prima caus. benef. amitt. Vult. l. 1 c. 11. n. 71. Zas. part. 10. n. 101 Curt. Junior p. 5. n. 2. & seqq.*

*A D*

**Dn. IOHANNEM Reuter** Amicum suum singularem, publicè disputantem.

**D**ic mihi, quis meritò sublimia pulpita scãdit?  
Quem penes est Virtù, Ars, Labor, Ingeniû;

*Iure*



*Iure quis eximios affectat Iuris honores?*

*Quem penes est virtus, Ars, Labor, Ingenium:  
Sumito IANE tuos, quos pugnans quaris, honores;  
Te penes est virtus, Ars, Labor, Ingenium.*

M. Paulus Mullerus  
V Vitteb.

F I N I S.





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





Wittenberg. Diss., 1613/23

ULB Halle

3


002 673 304




V 3 17











12028.

Disputatio Juridica  
De <sup>1613</sup> <sup>3</sup>  
**SERVITIIS**  
**FEUDALIBUS,**

*Quam*  
Aspirante Numinis Divini gratiâ,  
In Electorali Academia VVittebergensi  
P R Æ S I D E  
Clarissimo & Consultissimo Viro  
**D. VALENTINO GUILIELMO**  
FORSTERO J. U. D. Profefs. Publ. Ju-  
ridici Collegii p. t. Decano  
*Publicè examinandam proponit*  
**Johannes Reuter Bitterfeld.**

Alumn: Electoral.

*Ad diem 16 Julij horis a. 6. matutinis, in Audi-  
torio Jctorum.*

W I T T E B E R G Æ,  
Typis Martini Henckelij, ANNO CHRISTI 1613.

24.  
62  
3/

